

bi confectus, nullis superstribus masculis, kalen. novembris ex humanis excessit; Viglevano cum decem aureorum millium proventu uxori ex testamento relicto. Eo defuncto, a Senatu Mediolanensi Insubrum gubernacula Antonio Levæ delata sunt, cunctaque Christiernæ viduæ nomine administrabantur, donec Cæsar de Duci obitu certior factus, quænam sua es-  
set voluntas significaret. Perculit Sfortiæ obitus vehementer Italos Principes, ac Venetos præcipue, quod suscepitos antea labores, atque immensos prope sumptus irritos fuisse, fru-  
straque per tot annos armis certatum, ut Italus Princeps in imperio Mediolanensi retineretur, animadverterent; ac tum animo præsentire videbantur, quanta inde rerum omnium perturbatio, quot clades luctuosæ consequuturæ essent; ne-  
que enim Italici generis, ad quem hereditario jure Insubrum ditiones pervenirent, Princeps erat ullus. Joannes Paulus Sfor-  
tia, Francisci defuncti haud ex legitimis nuptiis frater, Insubrum imperium jure sibi vendicare videbatur, quod tabulis, quibus a Maximiliano Imperatore patri illius tituli, atque in-  
signia Mediolanensis imperii concessa fuerant, contineretur, ut, legitimis masculis vita functis, illegitimi quoque succede-  
rent. Atque ei non modo jurisconsultorum responsa favebant, sed Mediolanenses Sfortianæ familiæ addicti instaurari in eo pristinum suorum Principum decus summis votis exoptabant. Verum has surgentes spes Joannis Pauli obitus corruptit. Ad Cæsarem enim proficisciens, Florentiæ inter prandendum re-  
pentina morte correptus nonis decembris interiit.

Cæsar, fato Franciscum Sfortiam concessisse, Neapolii nuntio accepto, magnam inde capere molestiam præsetulit. Vi-  
duam neptem ad se proficisci jussam, omnibus grati animi si-  
gnificationibus exceptit. Senatui nihil magis curæ erat, quam ut Italiae pax retineretur, neque ex Sfortiæ obitu novanda-  
rum rerum causæ insurgerent; id vero eo potissimum obti-  
neri, Insubribus Duce dato, arbitrabatur: saepius Cæsarem ad pacem Italiae conservandam hortabatur: Principem titulis, atque insignibus Mediolanensis imperii decoraret, qui præ-  
sentis rerum status studiosus, nihil communī otio, ac tran-  
quillitati adversum appeteret. Carolus nihil magis cupere,  
quam Italos Principibus, ac Venetis præsertim gratificari; quid

1535  
Francisci  
Sfortia obi-  
tus.  
Antonio  
Levæ Me-  
diolanensis  
administra-  
tio delata.

Joannis  
Pauli Sfor-  
tia in Me-  
diolanensem  
ducatum  
jura.

Joannis  
Pauli Sfor-  
tia obitus.

Veneti Cæ-  
sarem ad  
Ducem  
Mediolanë-  
sē insitu-  
dum hortā-  
tur.